

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS SOTHERIS PAPAE DE FIDE.

Sother apostolicae sedis archiepiscopus Campanis omnibus salutem in domino. 1

Gaudere vos oportet, fratres, quod divina largiente gratia familiares domini 2  
vocamini eiusque sacerdotii dignitate fungimini. Nunc autem rogo vos, ut circa  
5 plebes vobis commissas laborare dignemini et fructuosos manipulos domino re-  
portare nitimini.

Paulus enim apostolus de fide loquitur ita dicens: Quod ante promiserat, ait, 3  
per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine  
David secundum carnem. Item ipse ad Galathas: Postquam autem venit plenitudo  
10 temporis, misit deus filium suum ex muliere factum et factum sub lege. Et ad  
Philippenses: In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Et in  
psalmo XXX: Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt,  
et super omnes inimicos factus sum opprobrium. Item ibi: Oblivioni traditus sum  
15 tamquam mortuus a corde. Factus sum tamquam vas perditum. Et in LXXmo: 35v  
Tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis. Et in LXXmoII: Ut  
iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Et in LXXmoVI: Mater Sion  
dicit: Homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam altissimus. Et in  
LXXmoVII: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et in CVI-  
IImo: Et factus sum obprobrium illis, viderunt me et moverunt capita sua. Et in  
20 CI: Vigilavi et factus sum sicut passer singularis in tecto. Et in evangelio: Ver-  
bum caro factum est et habitavit in nobis. Filius igitur secundum carnem dicitur  
factus. Nam secundum divinitatem a patre nusquam legitur factus, sed genitus.

Dum enim pater loquitur, filius loquitur, et cum filius loquitur patrem in illo  
loquente documentis caelestibus comprobatur Paulo apostolo attestante, qui ait:  
25 Multis partibus multisque modis olim deus locutus est patribus in prophetis, no-  
vissime autem locutus est nobis in filio. Et ut eundem filium excepto patris prae-  
cepto doceam fuisse locutum, ex Isaiae prophetae volumine proferimus documen-  
tum: Haec dicit dominus: In illa die sciet populus meus, quoniam ego sum ipse,  
qui loquebar in servis meis prophetis evangelizans auditum pacis, et ecce adsum.  
30 Item ibi: Ego sum dominus, qui loquor iustitiam et annuntio veritatem. Item ibi:  
Cogitavi et locutus sum et adduxi et creavi et feci. Et apostolus: An experimen-  
tum quaeritis, qui in me loquitur Christus? Et in psalmo CXVIII: Loquebar de  
testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et ipse dominus in evan-  
gelio caeco a se illuminato dicit: Et vidisti eum et, qui loquitur tecum, ipse est. Et  
35 Samaritanae mulieri ait: Ego sum, qui loquor tecum. Et ad discipulos: Verba,  
quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Et ad patrem: Ego ad te venio et  
haec loquor in mundo. Et iterum Iudaeis dicit: Loquor vobis, et non auditis. Si  
autem venerit alius, illum audietis. Et iterum: Haec locutus est dominus in  
40 gazophilacio docens in templo et nemo appraehendit eum, quia nondum venerat  
hora eius. Ecce in his omnibus, quae superius dicta sunt, non docetur filius prae-  
cepto patris fuisse locutus, sed magis proprium exercuisse in loquendo ser-  
monem.

Isaias quoque propheta ait: Haec dicit dominus: Ego feci terram sensu meo et  
hominem super eam, ego solidavi caelum manu mea, ego omnibus sideribus man-  
45 davi, ut lucerent in caelo. Item ibi: Omne consilium meum studui, et omnia, quae-

cumque cogitavi, ego feci. Item ibi: Sic dicit dominus, qui constituit caelum et terram et fecit eam, ipse finivit eam. Item ibi: Ego primus et ego in aeternum, manus mea fundavit terram, dextera mea solidavit caelum. Item ibi: Ego feci terram in fortitudine magna et in brachio meo excelso. Et in Hieremia: Dominus fecit terram in virtute sua magna et erexit orbem terrae in sapientia et prudentia sua, extendit caelum et posuit sonum aquae in caelo. 50

4 Defendite, carissimi, rogo vos, contra malivolos homines inconcussum ecclesiae statum, ut vos Christi dextera defendat in aevum.

5 Data Non. Maii Rustico et Aquilino vv. cc. cons.